



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De gestis ab Apostolis post acceptum Spiritu[m] Sanctum ipso die
Pentecostes
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

amor, zelus cooperandi gratiæ Christi
in studio perfectionis.

III. *Fur non venit, nisi ut furetur, & perdat: ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quanta liberalitas Christi, qui ideo cælo descendit, ut vitam gratiæ singulis suis fidelibus, & quidem perfectam & abundantem promereretur, & nisi ipsi obstaculum ponerent, largiter per Spiritum sanctum in eum finem mittendum imperitiretur; sicque tandem ad vitam sublimioris gloriæ eueherentur! quanta porro cæcitas & ingratitude hominū, magis eligentium sequi mundum, carnem, diabolum, & quemuis seductorem mactantem; quam Christum veram Pastorem, vitam gratiæ & gloriæ tribuentem! Gratitudo, amor Christi, odium mundi & amoris proprii.

De gestis ab Apostolis post acceptum Spiritum sanctum in ipso die Pentecostes.

IV.

I. **E**T repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, magnalia Dei. *O mutatio Psal. 76. dextera excelsi!* quanta vis gratiæ Spiritus sancti! Nam 1. repente illius gra-

riæ Spiritus sancti! Nam 1. repente illius gratia sic immutati sunt, vt nihil extra Deum optarent, & quoad omnes potentias animæ, perfecti euaderent, singuli tamen pro capacitate ac dispositione suâ, 2. Donati sunt notitiâ linguarum necessaria ad conuersionem gentium, tanquam Architecti ædificaturi ciuitatem cœlestem, pertingentem ad visionem Dei; sicut olim linguarum confusione à Deo puniti sunt superbi filij Adam, parantes ædificare ciuitatem & turrim, cuius culmen ad cælum pertingeret. 3. Ex timidis, repidis, rudibus facti sunt animosi, feruentes, eloquentes, vt prodeuntes in publicum magnâ cum libertate, magno feruore, magna verborum efficacia, cum stupore omnium, magnalia Dei & mysteria fidei confluentibus turbis prædicare non formidarent. Vis & tu copiosa Spiritus sancti gratia repleti, zelo propriæ perfectionis & salutis proximorum promouenda inflammari? iuxta illud: *Dilata os tuum, & implebo illud*; dilata os animæ tuæ, seu desiderium maioris puritatis, humilitatis, fiducia, deuotionis, & familiaritatis cum Deo.

Gen. 11.
Psal. 80.

II. Cum Apostoli varijs linguis magna-

gnalia Dei palam prædicarent, à multis suspiciuntur, attenteque audiuntur; à nonnullis ridentur, & multo pleni putantur, quos modeste redarguit Petrus, indeque captat occasionem illis explicandi mysterium missi Spiritus sancti per Ioëlem prædictum.

Quam necessaria est vero zelatori animarum tolerantia irrisionum, oblocutionum, & constans zelus gloriæ Dei, licet speratus non semper appareat fructus!

III. Petrus tam efficaciter de Christo peroravit, tantâ sapientiâ mysterium eius Incarnationis, Passionis ac Resurrectionis ex Scripturis adstruendo: tanta libertate & fortitudine animi illum verum Messiam, & Filium Dei confitendo: tanto demum zelo ac spiritu hæc omnia auribus auditorum ingerendo, animisque imprimendo, ut compuncti corde dicerent: *Quid faciemus viri fratres?* ac primâ quidem vice tria millia, alia vice quinque millia conuerterentur. O quanta energia verborum ex corde puro, Spiritu sancto pleno, humili, deuoto, igne charitatis & sinceri zeli gloriæ Dei inflammato prodeuntium!